

INDEX
LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOGHIENSI

SEMESTRI AESTIVO A. MDCCCXLVIII

A CALENDIS MAJIS

PUBLICAE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

CORRIGUNTUR IN PRAEFATIONE

SCHOLIA AD ARISTOPHANEM.

LITERIS ADLERIANIS.

INDEX

LECTIONUM

ACADEMIA POSTOCHENSIS

RECENTIUS RECENTIORI POSTOCHENSIS

A. POSTOCHENSIS

RECENTIUS RECENTIORI POSTOCHENSIS

RECENTIUS RECENTIORI POSTOCHENSIS

SCHOLIA AD RECENTIUS RECENTIORI POSTOCHENSIS

Scholastae ad Nubes v. 23 sive Suidae s. Κοππατίας locus jam olim restitui potuit, priusquam codices utriusque collati essent. Nunc Scaliger ad Eusebii chron. p. 116 totum scholium minime intellexit, in quo de numero sampi sermonem fuisse suspicatus est. Scaligerum in summa re plane secuti sunt Salmasius in Exerc. Plin. p. 626, Kuster ad Suidam, Ernestius in Praefat. p. 282 ed. GD., Hermannus ad scholia et ad Suidam Bernhardyus. Quorum omnium audacissimae conjecturae e textu scholii, qualem Hermannus constituit, magna ex parte hauriri possunt *). Tandem Dindorfius a Bentlejo monitus, quum ex iis, quae Scaliger finxit, nihil quidquam in ullo aut Suidae aut scholiastae codice legi atque adeo Scaligerum longe a vero aberrasse vidisset, prorsus aliam correctionis viam ingredi coepit et unum certe vitium emendavit (T. IV p. 375 Ox.) **). Equidem vix dubito quin hoc scholium ita corrigi debeat: Κοππατίας ἵππους ἐκάλουν, οἷς ἐγκεχάραται τὸ κ̄ στοιχεῖον, ὥς καὶ σαμφόρας τοὺς ἐγκεχαράγμενους τὸ σ̄. τὸ γὰρ σ̄ καὶ τὸ κ̄ χαρασσόμενον σὰν ἔλεγον καὶ κόππα. αἱ δὲ χαράξεις αὗται καὶ μέχρη τοῦ νῦν σώζονται ἐπὶ τοῖς ἵπποις. συζευγνυμένου γὰρ τοῦ κόππα καὶ τοῦ σ̄ τὸ σχῆμα ἐκ τοῦ δ̄ τοῦ ἀριθμοῦ δύναται κατανοεῖσθαι, οὗ προηγείται τὸ κόππα. καὶ παρὰ τοῖς γραμματισταῖς οὕτω διδάσκονται, καὶ καλεῖται τὸ κόππα ἐνενήκοντα. Varietatem lectionis infra posui. Ἐγκεχάραται R et Suidas; ἐγκεχάρακτο Ald. — ὥς καὶ σαμφόρας R; ὡς σαμφόρας Ald. et Suidas. Ceterum R sic pergit, τοὺς ἔχοντας τὸ σ̄, caetera autem more suo omittit. — τὸ σ̄. τὸ γὰρ σ̄ καὶ τὸ κ̄ V et ex eo Dindorfius; τὸ σ̄. τὸ γὰρ σ̄ καὶ τὸ ν̄ Ald.; τὸ σ̄ καὶ ν̄ Suidas vulgo, sed in uno codice τὸ σ̄ καὶ τὸ ν̄. Sententia bene perspecta Bentlejus (ad Callimachi Fr. CCCLV p. 292 Bl.) a Scaligero diserte dissentiens conjecerat, τὸ γὰρ σ̄ σημεῖον χαρασσόμενον σὰν ἔλεγον. — χαρασσόμενον σὰν

*) Sampi in toto hoc scholio ferri nulla ratione potest. Σαμφόρας enim minime e numero sampi compositum est, sed e sigma litera, quae dorice est σὰν. Tum vero sampi numerus est neque vicinus numero koppa, et numerus tantum, litera non item. Atqui demonstrandum est, koppa olim literam fuisse eamque sigma sive san literae vicinam.

**) At non minus longe a vero aberravit ipse Dindorfius. „Hoc dicit, inquit, homo ineptus (scholiasta videlicet), e signis koppa et san copulatis signum prodire numeri nonagenarii, cui designando tanquam proprium et primarium adhiberi τὸ κόππα, nulla habita τοῦ σὰν ratione.“ Hoc Dindorfii commentum non ineptum est, sed ineptissimum.

(σάν Ald.) ἔλεγον scholiasta et tres libri Suidae vulgo interpolati. — καὶ κόππα (post ἔλεγον) recte addidit Dindorfius. — αὐταὶ καὶ μέχρι τοῦ νῦν scholiasta; αὐταὶ ἔτι καὶ νῦν Suidas. — συζευγνύμενου duo libri optimi Suidae, apud quem vulgo est συζευγνύμενον; συνεζευγμένον scholiasta, quod et ipsum ferri potest. — τοῦ κόππα καὶ τοῦ σ ita conjeci; τοῦ κ καὶ τοῦ σ duo libri optimi Suidae, apud quem vulgo est τὸ κ τῷ σ; τοῦ κ καὶ σ scholiasta. Forsitan ne opus quidem sit conjectura, quum κ in toto scholio koppa dicatur, non kappa. — τὸ σχῆμα ἐκ τοῦ σ τοῦ ἀριθμοῦ ita correxi; τὸ σχῆμα τοῦ σί (sive εἶ) ἀριθμοῦ scholiasta et libri Suidae ante Kusterum. — δύναται κατανοεῖσθαι scripsi; δύναται νοεῖσθαι scholiasta; κατανοεῖσθαι optimi libri Suidae, apud quem vulgo est κατανοεῖσθαι δίδωσιν — τὸ κόππα optimus liber Suidae; τὸ κ scholiasta et Suidas vulgaris. — καὶ παρὰ τοῖς V; καὶ παρὰ Ald.; παρὰ τοῖς optimus liber Suidae, apud quem vulgo est παρὰ γὰρ τοῖς — γραμματισταῖς Suidas i. e. elementorum magistris; male scholiasta γραμματικοῖς — τὸ κόππα ἐνενήκοντα scripsi; κόππα ἐνενήκοντα scholiasta et Suidas Kusteri; κόππα τὸ ἐνενήκοντα duo libri Suidae; τὸ κόππα τὸ ζ Suidae Parisinus A et omisso priore τὸ Med., quod ipsius numeri nonagenarii signum est.

Συζευγνύμενον positum est pro συζεύξεως, ut paullo ante χαρασσόμενον pro χάραξις. Forma enim, inquit, conjunctionis, quae est inter koppa et σ literam, e numero σ (200) cognosci potest, cui antecedit koppa (90). Hoc igitur dicit, in alphabeto antiquissimo *) koppa et sigma literas adeo vicinas fuisse, ut nomina κοππατίας et συμφοράς ipsa quoque vicina sint ac paene cohaereant. Tum docta scholiastae disputatione cautum est, ne koppa cum kappa (est autem κ 20) temere confundatur. Confudit haec fortasse Eustathius ad II. p. 785, 28 loco ejusmodi, ut videri possit e deperditis scholiis ad hunc ipsum versum fluxisse. Sane Eustathio favet, quod in numis et inscriptionibus saepe koppa kappa literae loco ponitur, sequente praesertim o vocali (cf. Böckhii Corp. Inscr. I num. 166) **). At scholiastae quoque, qui de antiquo alphabeto unice agit, verissima praeceptio est.

Equina carne nuper vesci coepimus, neque teneri possum, quin publica exempla sequar eumque non malum esse cibum concedam. At veteres Graeci quum hac carne vix unquam vescebantur, tum in deliciis habebant avem phasianam, quae jam tempore mythico in Graeciam dicitur translata esse (Martialis 13 epigr. 72). Hujus

*) Olim enim literarum hic ordo fuerat, πῖ, κόππα, ρῶ, σῖγμα. Quam rem mirum est ab ipso Scaligero, loco etiam eo ipso, quo scholium nostrum mirifice corrumpit, primum egregie demonstratam esse. A Scaligero pendent caeteri, in his Schweighaeuser ad Athenaeum T. III p. 266, Solanus ad Lucian. Adv. Indoct. c. 5, Böckhii in Oeconom. Athen. T. II. p. 386.

**) Contra Attici, in quorum alphabeto koppa nullum esset, kappa posuerunt etiam pro antiquo koppa. Itaque Eustathius, si de attico alphabeto loquitur, omnino recte judicat, ὅτι τὸ κόππα στοιχεῖον κόππα κατὰ γλῶσσαν ἔλεγεν. Ceterum incertissimam viri docti conjecturam, qui equi coppatiae signo ☿ Corinthum significari vult, loco Etymol. M. p. 208, 1 nego refelli posse.

enim caro gallinae ab omnibus certatim in coelum extollitur, velut ab Athenaeo XIV p. 654, c et Philostr. Vit. Apoll. VIII, 7 p. 333, inprimis a scriptoribus culinae, quorum unus non irridicule ita incipit: „Dieser wahrhaft königliche Vogel ist ursprünglich ein Asiate —.“ Ex his facile erit de eo, quod jam unice quaeritur, statuere, utrum homo graecus isque gulae deditus libentius phasianam avem comederit, anne carnem equinam. Vix accredent posteri, mille amplius annos de facillimi loci sententia dubitari potuisse, qui est in Nubibus v. 109 Σ Τ. — ἀλλ' εἴ τι κήδει τῶν πατέρων ἀλφίτων, | τούτων γενοῦ μοι, σκασάμενος τὴν ἱππικὴν. | Φ. οὐκ ἂν μὰ τὸν Διόνυσον, εἰ δοίης γέ μοι | τοὺς φασιανούς, οὓς τρέφει Λεωγόρας. At enim quum caeteris interpretibus ad unum omnibus fatum fuit, aliquid de h. l. erroris committere, tum ego ipse ad Sluiteri Andocidea p. 189 ed. Schiller. falso judicavi, τοὺς φασιανούς ambigue dictum esse eoque simul ad φασιανούς ἄνδρας i. e. sycophantas alludi. Immo hac voce necesse est aut aves phasianas, aut genus quoddam equorum significari. Recte tamen jam tum l. l. illud vidi, aves intelligendas esse, argumento usus certissimo, quod omnes neglexerant, sententiarum nexu, qui e v. 106 ἀλλ' εἴ τι κήδει τῶν πατέρων ἀλφίτων et iterum e v. 121 οὐκ ἄρα μὰ τὴν Δήμητρα τῶν γέμων ἔδει clare perspicitur. Nam Strepsiades: si diutius, inquit, a patre ali vis, trade te in disciplinam Socrati. Cui filius: non faciam, etiamsi mihi dono dederis phasianas aves Leogorae. Scilicet haec duo membra εἴ τι κήδει — ἀλφίτων atque εἰ δοίης γέ μοι — Λεωγόρας artissime cohaerent; priore mensa paterna in universum describitur, altero certus quidam cibus isque egregius necessario describendus est. Atqui minime equina caro, sed avis phasiana inter heluonum delicias refertur. De Leogora ut homine guloso in Platonis Perialge et in Vespis v. 1269 memoriae proditum est.

Explicato Aristophanis loco restant nugae graecorum interpretum ipsorumque atticistarum. Habemus autem tum ad Nub. v. 109 scholia Veneti, Ravennatis et Musuri, tum egregium scholium Suidae s. Φασιανοί. Et Suidas quidem haud pauca solus servavit, praeterea exscripsit Venetum scholium paene integrum et disiectas quasdam partes Ravennatis. Rursus Suidam Musurus exscribere voluit, qui bis terve lectiones dedit ipso Suida meliores, plerumque autem male omittendo, pejus transponendo, pessime legendo erravit. In his igitur scholiis sane etiam vera interpretatio verborum τοὺς φασιανούς exstat. Schol. R οἱ δὲ περὶ Ἀρχιλόχον ὀρνίθων τι γένος λέγουσι τοὺς φασιανούς. Suidas et Musurus, οἱ δὲ περὶ Ἀρχιλόχον ὀρνίθων τι (τι male om. Musurus) γένος. Pro inepto Ἀρχιλόχον Ruhnkenius in praefat. ad Hesych. II p. 7 Ἀρίσταρχον requisivit: quam conjecturam multis probatam ego l. l. p. 189 ideo rejeci, quod Aristarchus in scholiis ad Nubes nusquam memoratus sit, id est, quod Aristarchus de hac fabula omnino non commentatus esse videatur. Postea etiam O. Schneider De Aristoph. schol. p. 86 Ruhnkenii conjecturam non admodum certam

esse statuit. Ac sane mea ipsius emendatio probabilior est. Scribo enim: οἱ δὲ περὶ Καλλίμαχον ὀρνίθων τι γένος λέγουσι τοὺς φασιανούς. Nempe hic locus indidem depromptus videtur, unde tot loci scholiastarum ad Aves, e Callimachi libro *Περὶ ὄρνεων*, cujus libri fragmenta p. 218 sq. ed. Blomfield. collecta sunt. Eandem quam Callimachus Aristophanei loci explicationem sequitur et ab altera defendit Athenaeus IX p. 387 a *). Sed haec scholia legenti monstri simile videbitur, alios grammaticos ab ave ad equum aberrare potuisse, quum phasianos equos ullos unquam fuisse ipsi praecise negent. At enim grammaticis, ut l. l. p. 187 recte existimavi, de ἵπποτροφία Leogorae certo indicio constitisse videtur, quae res nunc Veneti scholii verbis ἄδηλον — Ἀθήνησιν stabilitur. Nam quum homines male seduli ὀρνιθοτροφίας Pylilampis (Plutarch. Pericl. c. 13) et Demi (Antiphon Athenaei IX p. 397 d) meminissent, Leogorae autem non ὀρνιθοτροφίαν, quam quae-siverant, sed ἵπποτροφίαν invenissent: prorsus illi, ut recentiores quidam, eo capti sunt, quod rei equestris mentio τῇ τοῦ νεανίσκου σπουδῇ pulchre conveniat. At ὁ φασιανός, ut ipsi fatentur (schol. V sive Suidas, οὐκ εἰσὶν ἵπποι φασιανοί, ἀλεκτρούνες μέντοι et Suidas paullo post iterum, ἐνιοὶ δὲ — κατεψευσμένον) avem, non equum significat. Ergo ridicule fingunt, graecis quibusdam equis avis phasianae imaginem inustam atque ab ea ipsa imagine (scilicet ut κοππατίαις vel σαμφόραις) nomen datum fuisse, quod quidem mendacium in omnibus his quatuor scholiis legitur. Adeo apparet, qui nullam ejusmodi equorum notitiam habuissent, eos tamen equiti Leogorae quoquo modo facere locum studuisse. Denique alius, cui Μῆδοι, Ἐνέται, Θρήκιοι ἵπποι in mentem venissent, conjectura verum assecutus est (schol. R., Suidas, Musurus, Φάσις ποταμὸς Σκυθίας, ὅπου καλοὶ ἵπποι γίνονται). Cum his verbis Gaisfordus optime comparat scriptorem incertum Suidae s. Λεοννάτος, qui de regio Leonnati cultu post mortem Alexandri disserens: ἵπποι τε Νισαῖοι, inquit, οἱ δὲ Φάσιδος ἄπο, χρυσοχάλινοι σύμπαντες, προετιτάχατο τῆς τάξεως —. Adhuc hoc uno in l. οἱ ἀπὸ Φάσιδος ἵπποι inventi sunt, neque Lobeckius quidem ad Phryn. p. 460 ullum alius scriptoris afferre exemplum potuit. At ex hac Leonnati, non Leogorae descriptione minime sequitur, Athenis idque ante Alexandri expeditiones hujus quidem generis equos ullos fuisse, quum praesertim, ut bene L. Kuster, etiam alioquin improbable sit, equos e Colchide, tam longinqua regione Athenas adductos esse. Jam atticistarum lex ap. Herodian. p. 466 Piers. sive p. 459 Lob. et Thomam M. p. 885 B. sive p. 380 R. Φασιανοὶ ἵπποι, **) φασιανικοὶ δὲ ὄρνεις tota fluxisse videtur e falsa explicatione duorum locorum,

*) Verba ipsa Athenaei ita comparata sunt, ut doctissimus scriptor de equis phasianis nihil accepisse videatur.

**) Hic Thomas inserit: Ἀριστοφάνης ἐν νεφέλαις τοὺς — Λεωγόρας.

maxime quidem Nub. v. 109, tum etiam Avv. v. 68. Excogitata est enim ideo potissimum, ut de ambiguo Nubium l. controversia omnis tolleretur. Hanc originem quum ipsa lex, tum Athenaeus IX p. 387, a et Thomas manifesto produnt. Deinde quum equus et avis phasiana ab uno eodemque fluvio appellati sint, non minus attica esse debent *φασιανικοί ἵπποι* et *φασιανοὶ ὄρνεις*. Eandem enim formam habent scriptoris ignoti οἱ *Φάσιδος* ἄπο ἵπποι et aliorum ut Luciani Navigio c. 23 ὄρνις ἐκ *Φάσιδος*, nec minus attice dictum est *Φασιανοῦ* — *λίνου* Xenoph. Cyneget. II, 4, quam *λίνον* — *Φασιανικόν* Polluc. V, 26. Quin atticistas refellit ille ipse l., cujus fiducia *φασιανικοί ὄρνεις* commendantur, versus Avv. 68, in quo *Φασιανικός* non dicitur certa illa avis Phasiana, sed avis ad Phasin nata, plane ut v. 65 *Λιβυκὸν ὄρνεον*. Ita vel per se ineptum est hoc atticistarum decretum, qui non cogitant, alio modo haec gentilia inter se differre. Nam gentilia in — *ανὸς* plerumque substantive, interdum etiam adjective ponuntur, ut *Ἀβυδηνὸν ἐπιφόρημα*; at gentilia ab his derivata in — *ανικὸς* mera adjectiva esse solent nec nisi perraro vim habent substantivi. Itaque ὁ *φασιανός* (der Phasan) apud plerosque scriptores recte ac proprie est substantivum (ut populus οἱ *Φασιανοὶ* Xenoph. Anabas. IV, 6, 5; V, 6, 36; VII, 8, 25), interdum vero etiam adjectivum (Lucian. De Merc. Cond. 17 *Φασιανοῦ ὄρνιθος*, ut *Φασιανὸν νάπος* ap. Stephanum Byz. s. *Φᾶσις*); at non minus proprie *φασιανικός* ubique est adjectivum (veluti ap. Athen. XIV p. 654, c et Polluc. VI, 52). Denique Aelio Herodiano opponamus Athenaei nomen, qui IX p. 387, a tantopere illi repugnat, ut aut Herodianum aut Athenaeum falli plane necesse sit. Recte autem l. l. p. 187 ita statui, eundem Athenaeum paullo post p. 387, c his verbis, *Φασιανὸν* (avem) δὲ οὗτοι (Mnesimachus alique) *κεκλήκασιν αὐτὸν, καὶ οὐ φασιανικὸν* id ipsum egisse, ut atticistam istum refutaret. Nam atticistae placitum et Herodiano tribuitur, qui illi aetate paullo antecessit, et fortasse comprobatum est ab Herodiano, non inventum. Accedit, quod Athenaeus tum quoque *) antiquis scholiis ad Nub. 109 manifesto usus est, e quibus quum alia, tum Platonis c. memoriam sumserit. Verba ipsa Athenaei p. 387, a haec sunt: καὶ τὸ ἐν *Νεφέλαις* δ' ἐπὶ τῶν ὀρνίθων ἔγωγε ἀκούω καὶ οὐκ ἐπὶ ἵππων ὥς οἱ πολλοί, **) 'Τοὺς φασιανούς, οὓς τρέφει *Λεωγόρας*. δύνανται γὰρ ὁ *Λεωγόρας* καὶ ἵππους τρέφειν καὶ ὄρνεις φασιανούς· κωμωδεῖται γὰρ ὥς ***') *γαστριμαργὸς ὑπὸ Πλάτωνος ἐν Περιαλγεῖ*. Facile intelligitur, Athenaeo et cum articulo τῶν ὀρνίθων, utpote de avibus in vulgus notis,

*) Ita nostrum scholium ad Avv. v. 565 legerat Athenaeus VII p. 325, b; idem II p. 67, d Didymi scholio utitur in Pluto caet.

**) Male Athenaei codices ὥς πολλοί. Recte ὥς οἱ πολλοί legit Francinus, qui Athenaei locum addidit scholiis ad Nub. 109. Monui l. l. p. 187.

***') Vulgo, κωμωδεῖται γὰρ ὁ *Λεωγόρας* ὥς. Sed verba ὁ *Λεωγόρας* in bono codice non leguntur.

et vero sine articulo ἐπὶ ἵππων dicendum fuisse, quum de equis phasianis ita loquatur ut sibi ignotis. Quae quum ita sint, verissimum esse apparet, id quod olim l. l. p. 187 scripsi his ipsis verbis: hic in mendacio deprehensos plane tenemus atticistas. Ceterum versus Platonis in Perialge non addidit Athenaeus, addidit Suidas s. Φασιανοὶ atque ex eo Musurus. Locum, sicuti legendus videtur, infra posui: ὁ δὲ Λεωγόρας τρυφερός τις. Πλάτων Περιάλγει· ὦ θεῖε Μόρῳχ', αὐτός τ' ἄρ' εὐδαιμων ἔφης | καὶ Γλαυκίτης ἡ ψήττα καὶ Λεωγόρας· | οὐ ζῆτε τερπνῶς, οὐδὲν ἐνθυμούμενοι. Bene Musurus πλάτων περιάλγει, male nunc Suidas πλάτων λέγει, in quo λέγει ex περιάλγει corruptum esse Gaisfordus aliique viderunt. Jocose θεῖε recte Hanovius Exerc. Cr. p. 125 ad Siculi Dionysi cognomen Μόρῳχος refert. Primum versum ita legit Musurus, ὦ θεῖε μόνυχ' τε. νῦν γὰρ εὐδαιμων ἔφης, Suidas autem hoc modo, ὦ θεῖε μόνυχε, τέως γὰρ εὐδαιμων ἔφης. In manifesto vitio de emendatione dubitare licet dubitaruntque Sluiter Lectt. Andoc. p. 12 et Cobetus De Platone com. p. 168, qui ingeniose conjicit ipsius verba esse Perialgis. Musurum deletο τε secuti sunt Casaubonus ad Athen. l. l., Bentlejus, Elmslejus ad Ach. 887, Hermannus ad scholia egoque l. l. p. 188. At νῦν prorsus inutile est, quod Bergkii Antiq. com. p. 345 sensisse videtur. Sane νῦν Musuri ipsius interpolationem esse arbitror. In antiqua vero lectione Suidae τέως γὰρ, quam Ruhnkenius ad Timaeum p. 183 et Reisigius Conj. p. 72 male totam probarunt, verum latere post Hanovium l. l. intellexit Meinekii Fragm. com. p. 376 ed. minor. conjecitque, ὦ θεῖε Μόνυχε, πῶς γὰρ οὐ δαιμων ἔφης; emendatione ad speciem eleganti, cui tamen secundus versus repugnat. Verissime libri habent εὐδαιμων ἔφης, id quod in omnes hos triumviros cadit. Quamobrem pro Suidae lectione Μόνυχε τέως γὰρ nunc Μόνυχ' αὐτός τ' ἄρ' reposui. Compara simillimum locum Nub. 1188 μάκαρ ὦ Στρεψιάδες, | αὐτός τ' ἔφης ὡς σοφός, | χοῖον τὸν νῖδον τρέφεις. Secundo versu Musurus ἡ ψήττα, Suidas ἡ ψήττα, corrigente Kustero. Tertio male Musurus τερπνὸν, recte vero τερπνῶς servavit Suidas. Platonis versus continuo sequitur testimonium Eupolidis. Et Musurus quidem ita legit, εὐπολις ἐν αὐτολόκῳ β' ὡς καὶ διὰ μυρρίναν ἑταίραν τὰ χοήματα ἀποβέβληκέ φησιν. In his recte additum β', quod apud Suidam deest. At nihili est lectio vel potius conjectura Musuri ἀποβέβληκέ φησιν, ut qui pessime scripserit — ἀποβέβληκέ φησιν. οἱ δὲ ἔχοντας τοῦ μηροῦ κτλ. Recte vero Suidas — ἀποβέβληκτα. φασιανοὶ δὲ οἱ ἔχοντες τῷ μηρῷ κτλ. Nam prorsus ita ille ipse legit, quem Suidas exscripsit, sch. R. fin: ἡ φασιανοὶ λέγονται οἱ ἔχοντες τῷ μηρῷ κτλ. Ergo unice vera est Suidae lectio ἀποβέβληκτα. Suidas enim ita legit: εὐπολις ἐν αὐτολόκῳ, ὡς καὶ διὰ μυρρίναν ἑταίραν τὰ χοήματα ἀποβέβληκτα. Dorico μυρρίναν, quod criticis placuisse miror, codex Oxon. μυρρίνην recte sub-

stituit. *) Tum vero laborat etiam sermonis structura. Nimirum male Suidas scripsit, 'Ο δὲ Λεωγόρας τρυφερός τις Πλάτων —, quum non attendisset ad accusativum participii. Antiqui scholiastae verba ex ipso scholio servasse videtur Athenaeus IX p. 387, α κωμωδεῖται γὰρ (sc. ὁ Λεωγόρας) ὡς γαστρίμαργος ὑπὸ Πλάτωνος ἐν Περιαλγεί. Quare Suidas ita scribere debebat: Τὸν δὲ Λεωγόραν ὡς γαστρίμαργον (sive τρυφερόν) κωμωδεῖ Πλάτων Περιάλγει ὧ — ἐνθυμούμενοι, Εὐπολὺς (δ' adde cum Bernhardy) ἐν Αὐτολύκῳ (β' addente Musuro), ὡς καὶ διὰ Μυρρίνην ἐταίραν τὰ χοήματα ἀποβεβληκότα. Memorabile est, Suidae verba facile redigi posse sive in trimetrum, διὰ Μυρρίνην τὰ χοήματ' ἀποβεβληκότα, sive in tetrametrum, τὰ χοήματ' ἀποβεβληκότος διὰ Μυρρίνην ἐταίραν. Cf. Eccles. v. 811. Saepe enim scholiastae suae narrationi partim intexunt ipsorum verba poetarum. At quum tali argumento nihil fallacius sit, Eupolidem fortassis plane aliis verbis usum esse concedo. Quanquam non admodum verisimilem puto conjecturam Runkelii ad Eupol. p. 96, probatam illam quidem Bergkio l. l. p. 344 atque Meinekio Fr. C. II. I. p. 444, qui hoc Suidae testimonium Εὐπολὺς ἐν Αὐτολύκῳ — ἀποβεβληκότα conjungi volunt cum fragmento Zonarae p. 548, 4 Εὐπολὺς — ἐν Αὐτολύκῳ

“Οτι **) τὰ πατρώα πρὸς σὲ καταδιέφθορα,”

ideoque haec verba Leogorae fuisse ad Myrrhinen suspicantur. Neque enim demonstrarunt, Leogoram cum Autolyki rebus tam arcte connexum fuisse, ut Leogorae et Myrrhinae inter ipsas personas illius comoediae locus fuisse videatur. In alio Autolyki versu Meinekio p. 443 recte probavit Elmsleji conjecturam, Ἀτὰρ ἤγαγες καινὸν τι φῖτυ τῶν βοῶν, nec minus recte Bergkio p. 345 hunc versum interpretatus est. Sed quod hi duumviri verbum ἤγαγες ad Leogoram referri cupiunt, ex vano haustum esse apparet. Hic igitur Leogoras, Andocidis oratoris pater, vir et generosus et dives, qui non magis, quam alii e comicorum conviciis metiendus est, etiam in republica versatus erat (schol. Λεωγόρας δὲ ὄνομα κύριον ἐνὸς τῶν Ἀθήνησι πολιτευσαμένων τότε). Quae ejus partes fuerint in civitate administranda, partim docet Pseudoplutarchus Vit. X Rhet. p. 834, Ε ἤλεγξε γὰρ ὁ Λεωγόρας πολλοὺς δημόσια χοήματα σφετεριζομένους καὶ ἄλλα τινὰ ἀδικοῦντας· καὶ διὰ μὲν ταῦτα ἀφείδῃ τῆς αἰτίας. Cf. Sluiter Lectt. Andoc. p. 64 (p. 39 ed. Sch.). Sed operae pretium est, multo gravius testimonium addere, quod nuper demum in lucem prolatum est. Nam in libello scholastico Wimariae edito (Inscriptiones macedonicae quatuor) H. Sauppius etiam Methonensem inscriptionem p. 6 sqq. acutissime

*) Plures hoc nomine meretrices Athenis fuerunt, sed Eupolidis aetate inferiores (cf. Bergkio l. l. p. 344 sq.). Eupolidi aequalis fuit Myrrhine Cinesiae uxor (Lysistr. v. 852). Utrum hanc ipsam, an cognominem meretricem hodie ignotam Leogoras amaverit, nescitur.

**) Pro ὅτι dudum conjeceram ὅστις, Bergkio et Meinekio aut ὅστις aut ὅτις.

pertractavit, in qua hic locus exstat secundum optimam Rossii atque ipsius Saupprii restitutionem: *ἃ δὲ ὑπὸ Περδίκκου ἡδικῆσθαι φασί, βουλευσασθαι Ἀθηναίους, ὃ, τι δοκεῖ βέλτιστον εἶναι περὶ Μεθωναίων, ἐπειδὴν ἀπαγγεῖλωσιν εἰς τὸν δῆμον οἱ πρέσβεις οἱ παρὰ Περδίκκου, οἳ τε μετὰ Μεγιστίου οἰόμενοι καὶ οἱ μετὰ Λεωγόρου.* Recte autem viri docti perspexerunt, hoc populiscitum Ol. 89, 2 vel uno anno post scriptum esse, quo tempore noster tantum, neque alius ullus Leogoras Athenis florebat. Alio argumento Sauppius p. 10 utitur. „Leogoras vero, inquit, non dubito quin Andocidis oratoris pater fuerit: nam hic ipse or. 2 § 11 ait: *ὄντος μοι Ἀρχελάου ξένου πατρικοῦ*, et in legationes ad reges hospites eorum, in civitates peregrinas proxenos earum mitti solitos esse constat (cf. Meier. de proxenia p. 28 sq.).“ Quae quum ita sint, Leogoras noster eo tempore princeps fuit missae ad Perdiccam legationis.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

- D. Gustavus Fridericus Wiggers, P. P. O., Academiae Senior,** privatim 1) historiam dogmatum h. VIII — IX senis dd. tradet; 2) historiae ecclesiasticae partem posteriorem h. IX — X quinis dd. enarrabit. Publice theologiam pastorem h. XII—I dd. Lunae et Jovis, legum ecclesiasticarum Meclenburgicarum ratione habita, praecipiet, et in Seminarii sodalitia catecheticae sodalium exercitationes tempore constituto moderabitur.
- D. Jo. Phil. Bauermeister, P. P. O.,** 1) privatim quaternis dd. hor. XI—XII dogmatica praecipuarum ecclesiae christianae partium systemata exponet et inter se comparabit; 2) publice binis dd. hor. II—III antiquitates ecclesiasticas docebit; 3) publice binis dd. h. II—III isagogen in libros ecclesiae nostrae symbolicos tradet; 4) publice binis dd. h. III—IV Actorum eos locos, qui in dogmatica maximi sunt momenti, explicabit; 5) publice binis dd. h. III—IV disputationes de rebus theologicis latine habendas moderabitur.
- D. Otto Carsten Krabbe, P. P. O., Ord. Theol. h. t. Decanus,** 1) publice de philosophiae recentioris cum theologia Christiana nexu disseret bis per hebdom. horis diebusque definiendis; 2) privatim senis dd. h. IX historiae ecclesiasticae partem primam enarrabit; 3) privatim quinis dd. h. VIII theologiam moralem docebit; 4) in Seminarii sodalitia homileticas sodalium exercitationes die Mercurii h. II et III moderari perget.
- D. Franc. Delitzsch, P. P. O.,** 1) librum Iobi interpretabitur quinis per hebdom. diebus, h. XI—XII privatim; 2) epistolam Pauli ad Galatas et deinceps epistolam Jacobi explicabit item quinis per hebdom. dd. h. X—XI privatim; 3) elementa linguae Persicae docebit, adjuncta chrestomathiae Schahnamianae a Vullersio editae expositione, binis per hebdom. horis publice; 4) exercitationes conversatorii exegetici moderari perget binis per hebdom. horis vespertinis privatim, sed gratis.
- D. Julius Wiggers, P. E.,** 1) epistolas P. ad Colossenses et ad Ephesios dd. Mart. et Ven. h. IV; 2) epistolam ad Hebraeos quater p. h. h. X interpretabitur; 3) statisticam ecclesiasticam docebit, quaternis dd.

In ordine juridico.

- D. Conradus Theodorus Gründler, P. P. O., tradet 1) encyclopaediam juris, duce Falck, quaternis diebus, h. IX — X; 2) textum institutionum juris, secundum editionem minorem Schraderi, senis diebus, h. XI—XII.
- D. Augustus Ludov. Diemer, P. P. O., docebit 1) publice binis dieb. jus privatum Megapolitanum, duce de Ramptz h. X—XI; 2) privatim quaternis dieb. jus canonico-ecclesiasticum, ex compendio Wiesii, ed. Kraut, horis deinde constituendis; 3) quatern. dieb. jus gentium Europaeum, duce libro Heffteri «das Europäische Völkerrecht der Gegenwart. Berlin 1844» horis deinde constituendis.
- D. Fridericus Raspe, P. P. O., tradet principia processus judiciarii civilis, duce Linde, sexies h. XI et quater h. XII.
- D. Henricus Thöl, P. P. O., 1) ad finem usque perducet jus germanicum privatum h. VII—IX; 2) instituet collegium, quod vocant civile practicum, bis h. VII—IX.
- D. Rudolphus Jhering, P. P. O., Ord. JCtor. h. t. Decanus, tradet institutiones conjunctas cum brevi expositione historiae et antiquitatum juris Romani quater h. XI—I.
- D. Guilelmus Leist, P. P. O., docebit 1) publice partem generalem doctrinae de obligationibus binis diebus, horis deinde constituendis; 2) privatim pandectas, excepto jure hereditario, sexies h. IX — XI.
- D. Theophilus Henricus Fridericus Gaedcke 1) tradet principia, quae officia notariorum spectant, horis deinde constituendis; 2) quater per hebd. collegium civile practicum instituet; 3) selecta juris civilis capita bis per hebd. interpretabitur.
- D. I. de Gloeden jus publicum meclenburgicum sexies p. h. hora X docebit.

In ordine medico.

- D. Henricus Spitta, P. P. O., tradet quatern. hebdom. diebus 1) pathologiam et therapiam specialem; 2) medicinam forensem; 3) clinicen propaedeuticam binis hebdom. diebus.
- D. Carolus Strempel, P. P. O., docebit quater p. h. 1) materiam medicam artemque formulas medicas rite concinnandi h. IV; 2) chirurgiae partem primam h. VIII; 3) artem operationum chirurgicarum et ophthalmiatricarum in cadaveribus illustrandam, h. III et 4) exercitationes practicas in Clinico medico-chirurgico quotidie h. IX—XI moderabitur.

- D. Carolus Fridericus Quittenbaum, P. P. O.,** 1) hora VIII—IX in demonstrationibus anatomicis osteologiam, syndesmologiam et myologiam quater per hebdomadem tradet; 2) horis III—V artem operationum chirurgicarum et ophthalmiatricarum in cadaveribus illustrandam docebit.
- D. Fridericus Hermannus Stannius, P. P. O.,** offert: 1) institutiones physiologicas et pathologicas practicas sexies per hebdomadam h. XI—I; 2) anatomen comparatam tradet quatern. p. hebdomadam horis.
- D. Christianus Krauel, P. P. O., h. t. Decanus,** 1) tradet artem obstetriciam quater p. h. h. IV; 2) exercitationes practicas in clinico obstetricio quotidie h. VIII moderari perget.
-
- D. Jo. Frid. Guil. Lesenbergh** has lectiones offert: 1) encyclopaediam et methodologiam artis medicae; 2) chirurgiam; 3) artem obstetriciam; 4) repetitoria et examinatoria.
- D. Joannes Schroeder** tradet: 1) pathologiam et therapiam generalem; 2) medicinam forensem; 3) pathologiam et therapiam morborum psychicorum. Examinatoria et repetitoria de quavis artis medicae parte cupientibus offert.
- D. Ludovicus Dragendorff** lectiones habebit has: 1) de arte obstetricia et de gravissimis gravidarum, puerperarum et neonatorum morbis; 2) de operationibus obstetriciis; 3) examinatoria et repetitoria.

In ordine philosophico.

- D. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O.,** publice 1) quaternis diebus h. VIII Actionis secundae in C. Verrem Libros I et II explicabit; 2) binis diebus h. VIII Aristophanis Vespas interpretabitur; 3) quaternis diebus h. III historiam Graecorum literariam exponet. Denique exercitationes Seminarii philologici moderari perget, in quo Euripidis Ion atque Hecyra Terenti pertractabuntur.
- D. Joannes Roeper, P. P. O.,** 1) publice docebit elementa anatomes plantarum demonstrationibus microscopicis accuratius explicanda die Saturni h. X—XII; 2) privatim botanice generalem exponet demonstrationibus et exercitationibus illustrandam, senis diebus h. VII; 3) de plantis cryptogamicis disseret diebus Mercurii et Jovis h. XI; 4) itinera botanica instituet die Saturni horis pomeridianis.

- D. Eduardus Danielis Henricus Becker, P. P. O.,** 1) publice elementa rei rationariae oeconomicae bis p. h. h. XII; 2) agros metiendi formasque delineandi doctrinam adjunctis exercitationibus practicis tradet sexies p. h. h. III; 3) culturam plantarum agrestium quaternis diebus docebit h. IX.
- D. Ludovicus Bachmann, P. P. O., h. t. Decanus,** privatim 1) quaternis diebus Callimachi hymnos interpretabitur; 2) binis diebus Plinii epistolas explicabit; 3) privatissime quaternis diebus scholas archaeologicas habebit.
- D. Helmuth de Blücher, P. P. O.,** privatim docebit 1) physicen experimentalem una cum collega conjunctissimo Karsten quater p. h. h. X—XII; 2) chemiam practicam bis p. h. h. II—V.
- D. H. Karsten, P. P. O.,** docebit publice geographiam physicalem bis p. h. horis commodis; privatim: 1) calculum differentialem et integralem quater p. h.; 2) physicen experimentalem una cum collega amicissimo de Blücher quater p. h. h. X—XII. Privatissima denique proponit collegia de quavis matheseos vel physices parte, nec non de rebus nauticis.
- D. Carolus Türk, P. P. O.,** publice 1) Conversatorium historicum continuabit, bis p. h. h. II; 2) privatim literas politicas docebit quater p. h. h. II; 3) historiam populi Germanici quinquies p. h. h. VIII.
- D. Christianus Wilbrandt, P. P. O., h. t. Rector,** privatim docebit 1) aestheticen seu philosophiam artis quinquies h. IX; 2) historiam literarum Germanicarum quinquies h. X; 3) exercitationes Seminarii philosophico-aesthetici moderabitur horis constituendis.
- D. Fridericus Francke, P. P. E.,** publice praecipiet 1) hodegeticen s. methodologiam studii et vitae sodalium academicorum, bis p. h.; 2) anthropologiam psychicam s. psychologiam, quater p. h. Privatim docebit 3) religionis philosophiam, quinis p. h. dd., et 4) jus naturae, itidem quinis p. h. dd.
- D. Georgius Nicolaus Busch, P. P. E.,** privatim 1) quaternis diebus h. III—IV Taciti Annales interpretabitur; 2) quaternis diebus h. IV—V de syntaxi linguae Graecae disseret. Praeterea exercitationes societatis philologicae privatae moderari perget.
- D. Eduardus Schmidt, P. P. E.,** 1) publice initia philosophiae moralis, eandemque introductionem in theologiam moralem, bis p. h., h. III—IV; 2) privatim philosophiam historiae, quater p. h., h. IV—V; 3) privatim historiam philosophiae docebit, quinquies p. h., h. V—VI.

- D. Carolus Hegel, P. P. E.,** 1) publice historiam Megapolitanam inde ab a. 1621 tradet bis per hebd. h. IV — V; 2) privatim historiam medii aevi quater per hebd. h. III—IV et historiam recentiorum temporum quater h. IV—V docebit.
- D. Carolus Weinholtz** privatim: 1) Introductionem in philosophiam ex conspectu suo docebit; 2) de principiis doctrinarum morum et juris naturae disseret; et 3) rationem principii logici, euphoniae et rhythmici linguae Germanicae explicabit.
- D. Bernardus Sthamer** 1) chemiae pharmaceuticae partem non organicam ter per hebd. h. VIII—IX tradet; 2) chemiae analyticae partem qualitativam bis per hebd. h. IX—X docebit; 3) exercitationes practicas in Laboratorio chemico-pathologico moderari perget; 4) repetitoria et examinatoria cupientibus offert.
- D. Julius Robert** 1) binis per hebd. diebus continuabit lectiones de scriptoribus Gallicis, qui saeculo decimo octavo floruerunt; 2) item binis diebus de lingua Gallica scholas practicas habebit.

* * *

Bibliotheca patebit quaternis diebus h. XII—I, festo die et solis excepto temporeque ad recensionem librorum necessario, tum quovis Mercurii et Saturni die extra ferias h. XI—I, feriis ipsis tantummodo h. XII—I; **Museum** vero die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Conferatur § 1 legum de usu bibliothecae academicae scriptarum. Gallicam, anglicam aliasque linguas peregrinas discendi occasio data est. Sunt etiam magistri publice constituti, qui artem equitandi, pingendi, musicam et artem gymnasticam doceant. — Domicilia quaerentibus monstrabit **J. H. Schultze**, Academiae nuntius juratus.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur

Christianus Wilbrandt, Ph. D.

Praesidet ordini Theologorum **O. C. Krabbe, Th. D.**

Juris consultorum **R. Jhering, J. U. D.**

Medicorum **Ch. Krauel, M. D.**

Philosophorum **L. Bachmann, Ph. D.**



